



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1656

§. 9. Et dicentes: vt quid perditio ista vnguenti facta est? v. 4.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45533

calumniabatur, inducens secum vel aliorum discipulorum murmurationem, vel certe plurali numero unius, plurimos figurantis inuidos & calumniatores, calumnia designatur. miserum sane genus hominum & conditio illorum est, quibus nihil fieri ita perfecte potest, quin arguatur ab ipsis. cum omnia creata habeant aliquas priuationes boni, etiam hi ipsi osiores. Vbi charitas? quæ non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi?

O Bone Iesu, fons charitatis! quam verum est quod mundus in maligno positus sit! quam parum de charitate tua adhuc hodie luxit! quam sibi addictus! quam parum Deo, & proximis! Heu experior in memetipso, quam longe sim à charitate tua & proximi: quid remedij? recurram ad te fontem omnis boni & misericordiæ, vt te requiram humillime, quo gratiam præstes, vt quidquid videro speciem boni habere in alijs non vituperem, glossematis malis sinistrè interpretet, sed potius, excusam si malum sit, docente S. Bernardo, & si bonum sit laudem, & extollam.

§. 9. *Et dicentes: vt quid perditio ista vnguenti facta est? v. 4.*

Hic concurrunt simul duo magna vitia, utrumque ob deformitatem suam pulchro velo palliatum, videlicet Auaritia & Inuidia. Auaritia pallio frugalitatis, qua inducuntur calumniatores, ut putent perditum vnguentum, & inutiliter Christo Domino applicatum, quod magno vendi potuisset, & vtilius applicari vel in vsus pauperum, vel vsui ipsorum. Inuidia vero palliata erat specie zeli cuiusdam, dum solum Christum, & non etiam seipsos participes balsami fieri indolescent, quasi continuo quod Magistro conuenit etiam discipulis sit exhibendum: excusat autem Dominus mulierem, quia nobilissima & diues pro conditione status & diuitiarum suarum dabat personæ nobilissimæ & nobiliori quam ipsa erat & ditiori, ideo ait: quod habuit hæc fecit, id de suo benefecit, ait Dominus.

O Gratissime Iesu vtinam & ego aliquando audiam à te vel in die iudicij bonum opus operatus es in vita tua vel perfectum, mihi que gratum & acceptum: intra in gaudium Domini tui: felix Maria quæ audisti approbati opus tuum & esse perfectum & meritorium apud Deum tuum: felix ego ero quoque si semper à conscientia mea audiero vocem illam dulcem: bonum opus operatus es.

§. 10. *Poterat enim vnguentum istud vendari plusquam trecentis denarijs & dari pauperibus. v. 5.*

Duplo hic adhuc amplius palliatur frigidissima murmuratio inuidiæ
A 3 & Aua-